



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuctio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 4. De initio Missae usque ad Introitum

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

te postea contingat aut in verbis hæsitare, aut in carimoniis deficere, & perturbari.

Quarto, Processurus ad Altare, Crucifixum vel aliam imaginem humillima inclinatione salutabis, te tanto ministerio indignum reputans, atque ideò ipsius Christi, Sanctorumque opem implorabis. Tum ipsum Christum mente intuere, quasi cruce onustum & ad Calvarie montem iturum, ante te incedentem. Sequere ipsum primum offerentem, cujus passio & mors à te debet representari: sequere, inquam, cum modestia & gravitate, & agmina Angelorum te undique stipantia venerare: teque existima ex hoc mundo in cælum transferri.

Quinto, Cum perveneris ad Altare, cælum tibi desuper veluti apertum contemplare, & curiam cælestem, Deumque ipsum spectantem te pro universa Ecclesia hostiam litantem immaculatam. Memineris pœnam mortis olim indictam bestie quæ montem tetigisset, idque tibi applica hominum pessimo & timorem concipe. Mox in Deum assurgens satage quantum potes ferventissimos actus charitatis elicere, cupiens in Christum totus converteri, eique simillimus fieri virtutum imitatione. Cum denique librum aperis, memor esto libri, quem aperuit Agnus, & septem signaculorum ejus; & desidera Christi fidem in universum orbem propagari.

s. IV. *De initio Missæ usque ad Introitum.*

CAlice ritè collocato & Missali aperto stans paulisper in medio Altaris, & facta cruci inclinatione te cum Abrahamo quasi pulverem & cinerem ante conspectum Domini confiteberis, imitans Christum, qui cælos inclinavit & descendit formam servi accipiens: quò enim humilior fueris, eò gratior & acceptior erit Deo oblatio tua. Mox descendens ad crepidinem Altaris, Verbi æterni Incarnationem recole, ejusque dilectionem & admirabilem promptitudinem ad opus nostræ Redemptionis suscipiendum. Iterata autem inclinatione te intimè

humilia, & Deum adora pro omni creatura. Dum signo Crucis te signans dicis, *In nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti*; animadvertite quale & quantum sit nomen, à quo sacrificium auspicaris, & sic te gere ut tantam de-
cet majestatem. Magni momenti est sanctissime Trini-
tatis præsentiam initio concipere, & ab ea nunquam de-
flectere; ad ipsam enim & ad ejus gloriam oblatio di-
rigitur, ejusque memoria robur tribuit ad improbos ho-
stium conatus elidendos, qui semper tentant variis &
inutilibus curis, atque imaginationibus mentem à sacri-
ficio avocare. Sic concepta dei præsentia, duos affectus
raptim elicies, Fidei contra infideles Trinitatem negan-
tes, & recordationis Crucis Christi, atque passionis in ea
completæ, ex qua fluxerunt omnia bona. hos autem af-
fectus ad omne signum crucis renovabis.

Sequitur antiphona, *Introibo ad altare Dei*, quæ ter
repetitur: ante psalmum, in ipso, & post ipsum; ut intel-
ligas spirituali impulsu, & alacritate, ac summa venera-
tione totam Missæ actionem peragenda esse, omni
abjecta tepiditate. Admirare dei bonitatem, qui te voca-
vit ad Altare suum: quis enim es tu, ut audeas ad ipsum
introire? Ora abscondi in abscondito faciei Domini à
conturbatione malorum spirituum; ne immitrentes tetra
phantasmata divinum perturbent ministerium. Ora etiam
renovari in te animæ juventutem, quæ est fervor spiri-
tus, ex quo vera & solida lætitia procedit.

Ad primum versiculum psalmi, *Judica me Deus*, con-
sidera ea præparatione & dispositione ad altare acceden-
dum esse, ut Dei judicium non pertimescas, ut discerna-
ris à gente non sancta & iniqua, sisque purus & sine
macula ante Deum, quantum fert humana fragilitas.
hanc autem puritatem humiliter petes, cum certa fidu-
cia eam meritis Christi obtinendi.

Ad 2. *Quia tu es Deus fortitudo mea*, Erubescere quod
toties tanti sacramenti divino alimento confortatus ad-
huc imbecillis es, adhuc tristis incedis, & cuicumque

levissimæ tentationi turpiter succumbis. Meritò ergo repellit te Deus, meritò te affligit inimicus, nisi ipse vires suppeditet, qui est fortitudo tua & robur tuum.

Ad 3. *Emitte lucem tuam*, Pete divinum lumen, ut veritatem à vanitate discernens, ipsam veritatem sequaris, cujus splendoribus interior sensus illustratus cum externo sacrificio concordet. Mons veidò sanctus, qui in hoc versiculo commemoratur, altare est Calvariæ montem indicans, quia in eo Christi passio & mors representanda est.

Ad 4. *Et introibo*, Magnum renova in te reverentiæ affectum erga Altare & sacrificium.

Ad 5. *Confitebor tibi in cithara*, Excita in te cordis lætitiā, quæ per citharam significatur: sed statim oculos ad tuam imperfectionem reflectens ingemisce & dic, *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?*

Ad 6. *Spera in Deo*; Ne despondeas animum, restat enim spes in salutari tuo, in quo tota fiducia collocanda est, quoniam ipse dabit ut obtenta culparum venia in ipso gaudeas, & in ejus laudibus perseveres.

Hac spe excitatus dices cum ingenti fervore, *Gloria Patri & Filio*, caput inclinans & offerens ad omnia adversa, & ad mortem pro Deo sustinendam. Tum repetita antiphona *Introibo*, ut benememineris quò ingrederis, & quid aggrederis, dices, *Adjutorium nostrum*. ut discas non ponere fiduciam in tuis viribus & industria, sed in eo *qui fecit calum & terram*, à quo duplex adjutorium postulabis, pro consequenda æterna salute & mediis ad eam necessariis, & pro illa peculiari necessitate, pro qua offers sacrificium.

Subditur statim generalis confessio, quia *justus prior accusator est sui*, quam humiliter recitabis, actum eliciens contritionis, ut est distincta ab attritione; dolens scilicet de peccatis tuis & totius mundi super omnia mala, idque pure propter Deum super omnia bona dilectum: dabisque operam ut verba illa, *mea culpa*, cum magno

doloris sensu proferas, & cum bona spe divinæ misericordiæ pro tuis & aliorum peccatis. Confiteris autem non solum Deo Creatori, Redemptori, & Judici tuo; sed etiam B. Virgini, cujus innocentem filium sceleribus tuis interfecisti: B. Michaëli Archangelo, cujus obsequiis te ingratum exhibuisti: B. Joanni Baptistæ & aliis Sanctis, quorum monita & exempla contempsisti: fratribus quoque quibus scandalo fuisti. Agnoscens autem fragilitatem tuam & necessitatem, auxilium eorum imploras quibus confessus es, ut pro te orent, quod humiliter facies: & cum astantes preces pro te fundunt dicentes, *Misereatur*, dum etiam ipsi confitentur, dum sequentes versiculos recitas, illum in te spiritum excitabis, quem verba sonant, magno animi ardore & devotione.

Osculum altari semper figes tenero amoris affectu erga Dominum Jesum Christum, cum intenso desiderio semper ei adhærendi, & ideo brevem sed ferventissimum amoris actum elicies.

s. V. De Introitu usque ad Epistolam.

Introitu & ea quæ sequuntur sedatè, attentè, & devotè recitabis, adhibitis magna cum honestate præscriptis cærimoniis, ut spirituales ac divinam rem agi omnes intelligant. Attendes autem ad sensum verborum, & cum dicis *Gloria Patri* sanctissimam Trinitatem adorabis optando ut omnes illi serviant. *Kyrie eleison* ad singulas tres personas mente in cælum erectus diriges, petens remissionem peccatorum cordis, oris, & operis pro te & aliis: & quia novies repetitur quot sunt Angelorum chori ipsorum vocibus tuam cõjunges, & cor ad illos elevabis. Ad *Gloria in excelsis* miraberis quomodo peccator in terra aliena canticum Angelorum canere præsumas: tum alios affectus adjunges laudis, adorationis, gratiarum actionis, fidei, spei, amoris, zeli gloriæ Dei, petitionis & obsecrationis, juxta sensum verborum. hæc autem verba, *Tu solus sanctus, Tu solus Dominus, Tu so-*